

magnus est, quando opus hoc incomparabile, quo diu carere non possumus, expectare liceat Ex Arabia nil novi habemus. Mathematicus adhuc ibi circumuagatur, sed dubito, quin Naturalia collecturus sit Meyerus iam puellam amplexus est, et simul collectionem naturalium pulcram et Bibliothecam instructam obtinuit. Occupatus iam est naturalibus suis secundum Systema naturae determinandis et disponendis. Fabricius Lipsiae omne tempus historiae naturali et huic superstructae Oeconomiae ductu Schreberi dicat. Kuhn per hyemem Edinburgi commorabitur, et aestate post assumptum Doctoris gradum Parisias abit. Historiae naturali se plurimum temporis dare mihi persuadet. Ego heic Botanicae praesertim studeo, nec reliquas diuinae scientiae partes negligo; quod reliquum temporis medicinae dico, fatum mihi destinatum exspectans. Tempestas semper pluuiosa Herborisationes meas impediuit, hinc nimis paruum incrementum accepit Cryptogamia mea.

(91) Vir generose,
Fautor ad cineres colende.

Dolens certe audio, quod tam tarde succedat Systematis vndecima editio; quotidie enim eius defectum experior.

Centaureae, quam in meam memoriam cognominare voluisti, florem certe optimum et fere vnicum quem possideo, TIBI mittere non dubitavi. Propositum erat totam plantam, cui adhaesit hic flos, mittendi; at defuit huc vsque occasio. Si vero ita placet, reliquum plantae mittam, vt hunc florem in loco suo adglutinare possis. Quod eam in mei honorem cognominare velis, gratias TIBI ago summas et maximas, quippe qui gratiae et fauoris, quo benignissime me dignari voluisti, perpetuitatem inde sufficienter perspiciam. At quo magis quotidie de defectu meo in scientia botanica vincor, eo magis tali honore indignum me video.

Ratione Florae Danicae, duplici modo eam citari posse credit Prof. Oeder; ita nempe, vt aut mox post differentiam specificam ponas Oed. Dan. F.; aut post nomen, quod in